



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCCCCXXXVIII. ad annum MCCCCXL.

Parisiis, 1644

VII. De praebendis & dignitatibus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15490

pter officium, statuimus quod quicumque canonici ecclesiæ nostræ cathedralis, vel alterius collegiæ nostræ diœcesis, per se vel alium officium suum, quod exhibere debet in ordine quocumque secundum consuetudinem ecclesiasticam hætenus obseruatam, per vnam septimanam continuam neglexerit quacumque de causa vel occasione, decem libras denariorum visualis monetæ ad fabricam eiusdem ecclesiæ soluere teneatur. Si vero minus quam per vnam septimanam neglexerit, eamdem pœnam proportionabiliter secundum ratam temporis per soluere teneatur. Si quis vero per secundam septimanam, vt prædicitur, neglexerit, a perceptione fructuum & reddituum præbendæ quam obtinet in ecclesia, penitus sit suspensus, donec pœnam soluerit integraliter superius expressam. Qui autem per tertiam neglexerit septimanam, ad nullum actum capitularem, nec ad aliquod stipendum præbendale admittatur, donec de pœna satisfecerit memorata, nec non ad arbitrium nostrum, sicut alias sibi duxerimus adiungendum, puniatur.

V I I.

Quia in tantum quorumdam processit ambitio, vt non duo vel tria, sed plura perhibeantur habere beneficia: de consilio venerabilium fratrum & patrum nostrorum hoc emendari cupientes, statuimus, & sub pœna priuationis beneficiorum mandamus, vt omnes & singuli clericci nostræ diœcesis incomparabilia de iure beneficia retinentes, nobis aut vicario nostro infra hinc & festum sancti Michaelis dispensationes super hoc obtentas indicent &

ANNO CHRISTI 1440. ostendant. Inhibemus quoque sub eadem pœna, ne quisquam clericorum plures quam vnum teneat vicarium, nisi evidentis necessitatis causa aliud sibi a nobis vel vicario nostro fuerit indultum.

VIII.

Ne per receptionem canonicorum præbendis non vacantibus alienæ mortis votum turpiter ingerratur, statuimus, vt de cetero nullus recipiatur in canonicum ecclesiæ nostræ cathedralis, nec alicuius alterius collegiatæ nostræ diœcesis, nisi vacauerit præbenda, quæ illi qui assumitur in canonicum assignetur: alioquin receptio in contrarium facta nulla sit ipso facto, nisi facta fuerit de licentia nostra speciali.

IX.

Quia non omnibus liquent Canones contra alienationes rerum monasteriorum & ecclesiarum, iurium prohibitiones publicando, omnino inhibemus omnibus abbatibus, prioribus, præpositis & aliis prælatis ac clericis vniuersis, tam sacerdotalibus quam regularibus, sub pœna priuationis ad ministracionem ipsorum, ne de rebus ecclesiarum suarum vel monasteriorum suorum alienationes sine licentia legitima faciant perpetuas quocumque titulo, gratuito vel mero so: nec etiam res temporales insignes aut notabiles præter iuris formam & licentiam secundum eamdem obtentam * quocumque alienare præsumant, statuimus, & irrefragabiliter diffinimus, quod in qualibet parochia plebanus, assumptis sibi duobus honestioribus subditis suis, quorum quilibet habeat clauem vnam, & ipse

*f. quo modo cumque

Concil. Tom. 33.

Ttt ij